



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Insomniae, siue Noctes
Ivniae Entheae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1436

XLVI. Ad Somnum.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00027821-6

INSOMNIA.

Desinit esse

Vera voluptas,

IVL. CÆS. SCALIGERI.

Socij voluptas quæ doloris est comes :

Non est voluptas cum dolore, sed dolor.

XLIIII.

Ad Nicolaum Redigerum

III. Patr. Vratisl.

Si quæ dolore voluptas

Empta sit, haud est vera voluptas.

Nec comes est vbi mæror,

Lætitia hæc jucunda videtur.

Fel pro melle dat ille:

Aut post mel, fel triste relinquit.

Sic damnosa voluptas

Exuperat precia omnia longè.

XLV.

Ad Iustum Lipsium.

Mors hominem sepelit: somnus si mortis imago est:

Quid nisi viui hominis triste est, & putre sepulcrum?

Nam vita est hominis mens viua, vigenſq;: sed illa

Somnus iners sepelit, vel somno dedita vita.

XLVI.

Ad Somnum.

B 4 Aug

N. REVSNERI

*Aut fur temporis, aut negotiorum
 Ofor somnus iners vocatur. Ergo
 Somnum quum capio minus, beatus
 Num fortasse magis videbor esse?
 Quod vel fure domi, vel otioso,
 Qui peior quoque fure sit, carebo.
 Erro. Fas mihi te vocare, Somne:
 Quum sis pax animi, quies, voluptas:
 Mulcens pectora, corporisque vires
 Paulatim reparans suo labori:
 Curæ denique victor, & laboris
 Optatissimus, ægritudinisque.*

XLVII.

Ad Delphinum Ca-
 tellum suum.

Quid gemis affixus domini DELPHINI
 (grabat)

*Quid præter morem, fide catelle, gemis?
 Murmure quid toties agedum baubaris amico?
 Stipator lateris nunc, velut antè, mei?
 Fidus heri custos, sentis tua vulnera sentis:
 Quæ cruciatus heri, quæ dolor ipse facit.
 Auribus hoc, oculisque notas, & verbere cauda
 Tu simul: & vis hoc triste leuare malum.
 Nec facis hoc frustra. nam sentio dulce leuamen
 Blanditias video quando Catelle tuas.*